

240. *Dico III.* Fundamentum Quesnellismi conquisit in tribus principiis, quæ correspondent tribus capitibus, in quæ sicut articulos damnatos, sic etiam omnem Quesnelli doctrinam divisimus; quod enim supra de Jansenii libro dictum est, ejus compendium quasi in quinque damnatis propositionibus exhiberi; id etiam hic dici potest, nempe 101. propositiones Quesnelli damnatas totum complecti opus Reflexionum moralium cæterasque ejus elucubrationes. Est autem respectu *capitis* 1^a. circa *gratiam*

I. *Principium.* Duplex in præsentis statu naturæ lapsæ est *delectatio indeliberata*: altera *caelestis* ad bonum, altera *terrena* ad malum; quarum altera præponderante voluntas movetur ac rapitur ad id, ad quod delectatio propendet. In hoc Quesnellus Jansenium sequitur, eum centies in suis *memorialibus* et *apologeticis* tueri, et cum eo præpostere usurpat celeberrima S. AUGUSTINI verba: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est.* Atque hinc in plurimis Quesnelli articulis 43. prioribus aperte profertur propositiones Jansenii damnatæ, præsertim 2^a. et 3^a.

II. *Principium*, quod pertinet ad alterum de *virtutibus theologis* etc. caput, est: *Nullus amor medius est inter supernaturalem charitatem, qua Deus gratis et propter se diligitur, ac inter vitiosam cupiditatem.* Ex hoc enim tanquam corollaria fluunt, quæcumque de fide, spe, oratione, obedientia, timore aliisque sine charitate inutilibus, imo vitiosis edixit Quesnellus; secutus in eo duces *Baium*, qui idem principium, articulo 44. inter 101. propositum, exhibuerat in prop. 38. a Pontificibus Pio V. GREG. XIII. et URB. VIII. damnata.

Jansenius quidem eundem errorem sæpius, maxime L. 5. de gr. Chr. c. 6. docuerat; cum tamen eundem non penitus in materia de charitate cum Quesnello consentire ostenderit P. Fontaine ad art. 44. in Const. Unig. theologicæ propugnata, in hoc puncto ducis partes *Baio* potius, quam *Jansenio* tribuendas putamus. Cæterum si altius ascendere lubeat, utriusque magistrum deprehendemus *Calvinum*, qui in Antidoto ad Sess. 6. Can. 23. *Dei* judicio, inquit, *nihil est sincerum, nihil probum, nisi quod ex perfecto ejus amore manat.* Et ad Can. 31. *Cum ingenuam a filiis suis obedientiam requirat Deus, servile ejusmodi obsequium* (nempe spe caelestis retributionis præstitum) *non repudiabit modo, sed procul etiam rejiciet.*

III. *Principium*, ad tertium de Ecclesia caput spectans, est illud pronuntiatum: Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores, de consensu saltem præsumpto totius corporis. Quamvis enim hoc radicis locum non habeat, ex qua, quod de Ecclesia ipsa et ejus disciplina erronee effutiit, deducatur; id tamen si valeat, habebit *Quesnellus*, quo damnationes Ecclesiæ et censuras omnes circa suas propositiones omnes earumque assertores eludat. Desumptum autem illud est ex damnato Edmundi *Richerii* Doctoris Sorbonici libello an. 1611. edito de *Ecclesiastica et Politica Potestate*. Quas enim is eo in libro contentas propositiones contra sanctam Sedem Apostolicam contumeliosiores in palinodia posteriore retractavit, earum ad præsentem materiam spectantes numerantur hæc quinque:

1^a. Christus, suam fundando Ecclesiam, prius, immediatius et essentialius claves seu jurisdictionem toti dedit Ecclesiæ, quam Petro et aliis Apostolis.

2^a. Tota jurisdictionis Ecclesiastica primo, proprie et essentialiter Ecclesiæ convenit: Romano autem Pontifici atque aliis Episcopis instrumentaliter, ministerialiter et quoad executionem tantum, sicut facultas videndi oculo competit.

3^a. Christus non tam Petro uni, quam unitati infallibilem clavium potestatem detulit.

4^a. Status Ecclesiæ ab ejusdem regimine distinguitur; status enim monarchicus est etc. Regimen vero aristocraticum etc., quia omnium optimum et natura convenientissimum.

5^a. Petrus claves jurisdictionis accepit a Christo Domino, non pro se, sed pro Ecclesia et nomine totius Ecclesiæ; non ut pastor œcumenicus et princeps, sed ut minister tantum et executor decretorum Ecclesiæ. Quamquam, cum ipse *Richerius* in damnatione harum propositionum profiteatur, earum dogmata ex putridis *Calvini*, *Lutheri* et *Hussi* fontibus a se fuisse hausta, abunde liquet, quosnam prædicti principii auctores primos laudare conveniat.

241. *Dico IV.* Sententia contra Quesnellismum lata ex condemnatione Reflexionum moralium in N. T. Pontificia, et aliis circa eandem tum Conciliorum, tum Pontificum sub diversa ratione confirmationibus perspicitur.

I. *Condemnatio* Libri Reflexionum moralium 1^a. a CLEM. XI. in Brevis 13. Jul. an. 1708. his verbis pronuntiatur: *Sacrum ipsum N. T. textum exhibet damnabiliter, nec sine ausu temerario vitiatum, et alteri versioni Gallicæ, dudum a fel. rec. Clemente Papa IX. prædecessore nostro per quasdam suas in simili forma Brevis die 20. April. 1668. expeditas litteras damnatæ, in multis conformem, a vulgata vero editione, quæ tot seculorum usu in Ecclesia probata est, atque ab orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter discrepantem et aberrantem: notas insuper et observationes continet, habentes quidem speciem pietatis, sed ad virtutem ejus abnegandam subdole deducentes, in quibus passim occurrunt doctrine et propositiones seditiosæ, temerariæ, perniciosæ, erroneæ, alias damnatæ, et Jansenianam hæresin manifeste sapientes.*

2^a. In Constitutione *Unigenitus* die 8. Sept. an. 1713. ab eod. CLEM. XI. edita. In eâ Pontifex de doctrina libri Quesnelliani sic post Bullæ exordium enuntiat: *Et quidem ad ipsam ingruentis mali causam providæ nostræ considerationis intuitum convertentes, perspicue novimus hujusmodi libri perniciem ideo potissimum progredi et invalescere, quod eadem intus lateat, et velut improba sanies non nisi secto ulcere foras erumpat; cum liber ipse primo aspectu legentes specie quadam pietatis illiciat; molliti enim sunt sermones ejus super oleum, sed ipsi sunt jacula; et quidem intento arcu ita ad nocendum parata, ut sagittent in obscuro rectos corde. Nihil propterea opportunius aut salubrius præstari a nobis posse arbitrati sumus, quam si fallacem libri doctrinam generatim solummodo a nobis hactenus (nempe in Brevis an. 1708.) indicatam, pluribus singillatim ex eo excerptis propositionibus distinctius et apertius explicarem, atque universis Christi fidelibus noxia zizaniorum semina e medio tritici, quo tegebantur, educta velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis et quasi in propatulo positis, non uno quidem aut altero, sed plurimis gravissimisque tum pridem damnatis, tum*

etiam nove adinventis erroribus, plane confidimus benedicente Domino fore, ut omnes tandem apertæ jam manifestæque veritati cedere compellantur.

Enarratis deinde sollicitationibus ad ferendam sententiam factis, et 101. propositionibus recitatis ita prosequitur: *Omnes et singulas propositiones præinsertas, tanquam falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiæ et ejus praxi injurias, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in Potestates seculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemias, suspectas de hæresi, ac hæresin ipsam sapientes, nec non hæreticis et hæresibus ac etiam schismati faventes, erroneas, hæresi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variasque hæreses et potissimum illas, quæ in famosis Jansenii propositionibus et quidem in eo sensu, in quo hæc damnatæ fuerunt, acceptis continentur, manifeste innovantes, respective hæc nostra perpetuo valitura Constitutione declaramus, damnamus et reprobamus.*

Porro infra de aliis libri propositionibus subjicit: *Cæterum per expressam præfatarum propositionum reprobationem alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus, cum præsertim in decursu examinis complures alias in eo deprehenderimus propositiones, illis, quæ ut supra damnatæ fuerunt, consimiles et affines, iisdemque erroribus imbutas, nec sane paucas etc.*

II. *Confirmatio* tum hujus Constitutionis, tum factæ per eam condemnationis, reperitur imprimis in plurimis ad hanc usque ætatem nostram Pontificum summorum Declarationibus ac Brevibus. INNOCENTIUS XIII. quidem decreto Romæ die 8. Jan. 1722. promulgato Constitutionem *Unig.* amplissime confirmavit, contrariamque illi epistolam a septem Galliæ Episcopis anno priore ad se datam meritis censuris confixit et damnavit, tanquam continentem multas propositiones Episcopis Catholicis, præsertim Gallicanis, memoriæ Clementis XI., Apostolicæ Sedi injurias omnino, schismaticas et hæretico spiritu plenas.

BENEDICTUS XIII. autem idem luculentius præstitit in Synodo Romana sub suo præsidio celebrata, et Ebredunensi plenissime a se confirmata. Ejusdem generis specimina videre licet in Brevibus CLEMENTIS XII., altero an. 1731. in signum suæ benevolentiae ac paternæ charitatis ad Facultatem sacram Parisiensem dato, altero, quo an. 1734. Mandatum Antissiodorensis Episcopi confixit.

Perspectum denique est adeo BENEDICTI XIV., qui munus Apostolicum tanta cum laude gessit, studium singulare ad doctrinæ fideique puritatem tuendam, ut eam in rem non unas tantum aut alteras litteras, sed integrum jam Decretorum præclarissimorum Tomum publicis typis evulgatum adducere liceat.

Præterea vero confirmatio eadem extat in Conciliis supra jam nominatis. ROMANUM enim tit. 1. c. 2. ad rem nostram his verbis utitur: *Cum ad fidei Catholicæ professionem integre inviolatæque retinendam et custodiendam necessarium summopere sit, ut succrescentes per hæc recentia tempora circa eandem fidem errores, a Sede Apostolica damnatos, fideles omnes vigilantibus studio præcaveant et abominentur; idcirco ab omnibus Episcopis et animarum Pastoribus tota, ut hactenus, sollicitudine curandum est, ut Constitutio a s. m. Clemente XI. edita, quæ incipit: Unigenitus, ab omnibus cujuscum-*

que conditionis et gradus, omnimoda ac debita obedientia et executione observetur etc.

AVENIONENSE ad Romani exemplum similia urget et tit. 2. *Serio invigiletur, inquit, ne quis e Provinciæ Clero ad sacros ordines, ad beneficia, maxime curam animarum habentia, et ad sacrorum quorumcumque administrationem admittatur, quin de ejus sincera supradictæ Bullæ Unigenitus acceptatione, de debita et omnimoda obedientia, legitimis, pro Episcoporum conscientia et judicio, constiterit argumentis.*

EBREDUNENSE demum Sess. 5. hoc de dicta Bulla promulgavit Decretum: *Constitutio Unigenitus, qua centum et una Quesnelli propositiones damnate sunt, cui suffragata est universalis Ecclesia, est dogmaticum, definitivum et irretractabile judicium illius Ecclesiæ, de qua divino ore dictum est: Portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Si quis igitur eidem Constitutioni corde et animo non acquiescit, aut veram et sinceram obedientiam non præstat, inter eos habeatur, qui circa fidem naufragaverunt, etc.* Provocatio vero a dicta Constitutione ibidem declaratur ipso jure irrita, scandalosa, schismatica, jam damnatis erroribus favens, Sedi Apostolicæ et Ecclesiæ injuriosa.

Huc etiam referri possunt Comitium Generalia Cleri Gallicani, in quibus Præsulum numerus nonnunquam centenario accessit, vel eum exæquavit; quorum ingentes pro Bullæ confirmatione et damnatione Quesnellismi labores sera posteritas debitis laudibus semper prosequetur.

Tandem et postremo latissime diffusa est per universam Ecclesiam utraque confirmatio. Liqueat id ex luculentis omnium ferme orbis Catholici Metropolitanorum testificationibus, quibus diserte declarant, se suosque Suffraganeos dictæ Constitutioni UNIGENITUS constanter adhærere; eamque pro recta ac sancta lege tenere, cui omnes fideles integrum mentis obsequium exhibere tenentur. Documenta hæc asservantur in Regia Bibliotheca Parisina, edi vero curavit Card. et Archiepiscopus Mechlinskiensis in volumine gallice inscripto: *Testimonia Ecclesiæ universalis in favorem Bullæ UNIGENITUS.* Ex eo pro Germaniæ Ecclesiis hæc retulisse sufficiat.

Archiepisc. et Elector MOCUNTINUS ad Card. de Bissy ita 14. Mart. 1718. scribit: *Certam facio Eminentiam vestram, quod Constitutio Unigenitus jam ante annos aliquot in mea Archidiocesi non minus, ac in meo Episcopatu Bambergensi fuerit promulgata; quodque utrobique secundum omnes partes ab omnibus tanquam doctrina Ecclesiæ suscepta sit ea obedientia, quæ S. Sedi debetur. Neque aliter sentire Episcopos, Suffraganeos meæ Metropolis, novi.*

Archiep. et Elector TREVIRENSIS in Mandato 22. jun. 1717. reprobatur uti Ecclesiæ et pacis perturbatores eos, qui a Clementina Bulla ad futurum Concilium provocant; ac specialiter declarat, neminem posthac ad ullum admissum iri ministerium Ecclesiasticum, nisi declaraverit, se dictam Bullam ea, qua par est, integritate et devotione recipere, ejusque tenorem quoad omnia sequi, nec eidem in minimo directe vel indirecte contrarie velle.

Archiep. et Elector COLONIENSIS, qui una erat Leodiensis ac Ratisbonensis Episcopus, solemnibus Mandato die 29. Jan. 1715. Constitutionem UNIGENITUS promulgavit, eosque nomine Catholico indignos pronuntiat, qui debitam dictæ Constitutioni obedientiam detrectent.

Archiep. SALISBURGENSIS, Germaniæ Primas, epistola ad Card. de Bissy die 21. Oct. an. 1717. *Certissimum est, inquit, quod Episcopi mei Comprovin-*

ciales ad meum exemplum Constitutionem UNIGENITUS testiment et habeant tanquam æquissimam, illique profundissima cum veneratione adhereant.

His addi meretur recentius testimonium, nempe acceptationis formula an. 1740. ab Episcopo et Capitulo LEODIENSI præscripta, cujus hic est tenor: *Ego accepto pure, nude et simpliciter absque ulla restrictione, ne quidem mentali, Constitutionem fel. rec. Clementis Papæ XI. quæ incipit: Unigenitus, tanquam legem dogmaticam Ecclesiæ et regulam fidei, condemnoque centum unam propositiones ex libro vulgo Reflexiones Morales extractas in omnibus sensibus ac qualificationibus, sub quibus prædicta Constitutio illas condemnavit. Et ita juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.*

ARTICULUS VII.

AN CONSTITUTIO UNIGENITUS SIT SENTENTIA ET DEFINITIO DOGMATICA: AN LEX TANTUM ET REGULA DISCIPLINÆ VEL OECONOMIÆ.

242. *Nota.* Inter dogmaticam definitionem et meram legem disciplinæ id discriminis intercedit, quod illa *credendum* aliquid *proscribendumve* proponat, iudicium universale ad omnes Ecclesias et fideles directum inviolabiliter ferat, non meras voces, sed doctrinam pro objecto habeat, præterea etiam a legitimo superiore debito modo feratur; cui quidam accedere exigunt consensum Ecclesiæ. Hæc vero intelligitur, si vel ex illis requisitis aliquid desideretur, vel maxime, si sententia ad *usum* duntaxat *doctrinæ* vel propositionis pertineat, adeo ut censura tantum sit propter abusum vel periculum dissensionis, aliarumque turbarum; quod si abesset, etiam ipsa doctrina, quæ in se vera ac bona est, rursus defendi posset.

Porro duplex est *Quesnellistarum* circa hanc materiam sententia vel potius aberratio. 1^a. *Rigidiorum*, qui Bullam *Unigenitus* fatentur esse definitionem dogmaticam, sed simul tanquam iniquam, malevolam et falsam impugnant. 2^a. *Molliorum*, qui quidem eam Bullam acceptant, sed ut meram disciplinæ legem, cui proinde interior mentis assensus non sit necessario tribuendus; quod ipsum nihil aliud est, quam decretum Pontificium exterius quidem suscipere, interius vero et reipsa explodere.

Priorum errorem hic non oppugnamus, utpote ad quod requireretur, singularum propositionum condemnatarum falsitatem aut virus ostendere, quod Auctores num. 239. laudati jam perfecerunt. *Posteriorum* vero tum errorem, tum erroris fundamentum breviter delibabimus, quod in eo stat: Constitutioni prædictæ non convenire characterem iudicii dogmatici, quia in ea propositiones damnantur duntaxat *in globo* sub censuris variis *respective*, atque hinc nullum dogma distincte definiatur, nullusque error clare proscribatur; id quod tamen tanquam essenziale quid in quocumque veri nominis dogmatico iudicio desiderari prætendunt.

243. R. I. Bulla *Unigenitus* non est mera disciplinæ vel œconomiae lex, sed proprie dicta *dogmatica definitio*.

Ratio est; quia habet omnes conditiones ad dogmaticum iudicium requisitas. 1^o. Enim proponit aliquid *proscribendum*, ut patet tum ex scopo, quem

Pontifex in Bulla post exordium proponit, et num. 241. recitavimus: tum ex ipsis notis et qualificationibus 101. propositionum, quas ibidem protulimus. Præterea proponit etiam aliquid *credendum*, nempe nullam esse ex damnatis propositionibus, quæ non mereatur saltem aliquam e censuræ notis, quæ in Bulla exprimuntur: et vicissim nullam ex assignatis censuris esse, quæ ad minimum alicui propositioni non competat.

2^o. Fert iudicium *universale* ad omnes directum; ut probat vel ipsa Bullæ inscriptio: *Universis Christi fidelibus*; et verba iudicati: *Mandantes omnibus utriusque sexus Christi fidelibus*, etc. Porro inviolabile ferri iudicium testatur tum illud commà: *hac nostra perpetuo valitura Constitutione*; tum ipse scopus et materia in superiore conditione proposita.

3^o. Habet pro objecto non verba, sed *dogma* et *doctrinam*; ut ex sola inspectione propositionum damnatarum manifestum est, et conceditur ab ipsis *Quesnellianis*; e quibus olim Card. *Noallius* approbationem 12. articulorum a *BENEDICTO XIII.* postulans, rem hic agi dicebat de necessitate fidei in mediatorem Christum: de Christi morte ac Dei voluntate pro salute omnium: de necessitate, potentia ac gratuita dispensatione Salvatoris Jesu: quidque de regulis observandis in administratione Sacramenti Pœnitentiæ sentendum sit, tenendumve.

4^o. Latum est a *legitimo Superiore*, nempe Summo Pontifice, et quidem debito modo, scilicet, ut Pontifex in Bulla loquitur: *Hinc adspirante Domino ejusque celesti ope confisi, salutare opus sedulo diligenterque, ut rei magnitudo postulabat, aggressi sumus; ac plurimas ex prædicto libro, juxta supra recensitas respective editiones, fideliter extractas, et tum gallico, tum latino idiomate expressas propositiones a compluribus in sacra Theologia Magistris, primo quidem coram duobus ex Ven. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus accurate discuti: deinde vero coram nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium consilio, quam maxima diligentia ac maturitate, singularum insuper propositionum cum ipsomet libri textu exactissime facta collatione, pluries iteratis Congregationibus expendi et examinari mandavimus.* Subjunctis posthac propositionibus ita prosequitur: *Auditis itaque tum voce, tum scripto nobis exhibitis præfatorum Cardinalium aliorumque Theologorum suffragiis, divinique imprimis luminis, privatis ad eum finem publicisque etiam indictis precibus, implorato præsidio etc.*

5^o. Sortita est Constitutio *Ecclesiæ consensum*; utpote quam secundum dicta n. 241. tanquam dogmaticam definitionem agnoverunt et prædicarunt præpemis Summi Pontifices omnes *CLEMENTEM XI.* subsecuti, Synodi Romana, Avenionensis et Ebredunensis ea de re habitæ, Gallicani Præsules variis in Comitibus et Mandatis pastoralibus, quorum Collectio impressa est Parisiis an. 1715., denique orbis Catholici Metropolitanis cum suis expresse aut facite consentientibus Suffraganeis, accedentibus insuper plerisque sacris Facultatibus.

244. R. II. Bullæ *Unigenitus* non deest character definitionis dogmaticæ ex eo quod contra *Quesnelli* propositiones lata fuerint censura, ut aiunt, *in globo*.

Ratio est; quia hic defectus nec est juris, nec facti. Non est 1^o. defectus *juris*; quia per ejusmodi censuram in globo imprimis propositiones omnes constat esse rejiciendas: deinde intelligitur, nullam esse censuram, quæ